



104.

MAGNUS DE

INDEX DISPUTATIONUM

- XII Disput. vide p. 4
 sub Praesidio S. Frid. Bal
 duini.
- 13 De verbis testamenti Iesu
 Christi filii Dei, hoc est
 corpus meum, hoc est sanguis
 meus Pr. Balduini.
- 14 De Prae destinatione
 Pr. D. Joh. Gerhardi
- 15 Oratio De Friderico Myco, Indice
 Theologo constantis. et
 primo Thuringorum Evangelista
 sub D. Ant. Erbo vide p. 2. in disp. 1.
- 16 De Dei et Christi Oratio
 pro Mediatoris nostri, apud
 creaturas gubernandas
 universali et speciali pre
 sentia. D. Bal. Mentzeri
 D. Iust. Feurbornii
 quomodo quationum. 9800.
- 17 Absterfio Calumniarum
 Joh. Coccii. Pr. Balb.
 Mentzeri.
- 18 De Baptismo conclusionibus
 comtchenfus. Pr. D.
 Petri Bisectoris.
- 19 De persona Iesu Christi ser
 vatoris nostri Pr. D. Ambro.
 Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis
 Sacramento Pr. D. Georgii
 Mylii.
- 21 De visitatione eccle
 siastica Pr. D. Georgii
 Mylii.
- 22 Caroletadius redivivus
 Contra Calumnias Pr. D.
 Georgii Mylii.
- 23 De verbo Dei scripto,
 et traditionibus non
 scriptis. in Disputationes
 X distributa. sub Praes.
 D. Leonhardi Hutleri.
- 34 Threnologia de obitu
 Principis Friderici Wilhelmi
 sub D. Georgio Mylio.
- 35 Panegyris Actus Doctorei
 iuncti consulti in die Joh.
 Stigeli de inauguratione
 in Acad. Salana.
- 36 Modus inveniendae Concordiae
 in contrav. De electione ad
 vitam a San. Hubero D.
 2 in Morte Principis Saxoniae
- 37 Ad Tragediam Virgilianam
 de Aenea et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.
 Ph. Melancthonis ad D. Frid.
 Myconium conscriptae et
- 39 De Viri sancto Martino
 Lutbero.
- 40 Votum nuptiale

DISPUTATIO THEOLOGICA IX.

33

De

TRADITIONIBVS,

QVAS ROMANE NSES APPEL-

lant verbum Dei non scriptum,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri

Dn. LEONHARTI HUTTERI,

S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ

V Vitebergenſi Publici diſcutiendam

proponit

M. CASPAR VVAGNER

Augustanus.

Ad diem 3. Maij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.



Reverendis, clarissimis, pietate, doctrinâ, virtute atque authoritate præstantissimis viris,

Dn. GEORGIO MYLIO, S. S. Theol. Doctori, & in celeberrima Academia VVitebergensi P. P. Saxonicarû Ecclesiarum Superattendenti exoptatissimo:

Dn. M. MICHAELI GRUBERO, Ecclesiæ Kembergensis Præposito dignissimo:

Dn. M. DAVIDI PISTORIO, Augustæ ad D. Vdalrici VERBI Ministro fidelissimo:

Nobilissimo item, ac multiplici rerum usu præcellentissimo Viro,

Dn. LUCAE GEITZKOFLERO, juris utriusque Doctori dexterrimo.

NEC NON

Excellentissimis Viris,

Dn. CASPARI GUTTMANNO } *Medicæ Artis Doctoribus peritissimis celeberrimisq;*
Dn. GEORGIO HENISCHIO }

UT ET

Prudentissimis, omniq; virtutis & eruditionis laude eminentissimis Viris,

Dn. M. DAVIDI HOESCHELIO, illustris in Patria Gymnasia ad D. Annæ Rectori maximè idoneo:

Dn. M. IOHANNI VVEGELINO, orthodoxi ibidem Collegij Inspectori vigilantissimo:

Dominis Præceptoribus, Fautoribus, Promotoribus atq; Patronis suis amplissimis, omni reverentiæ & observantiæ honore æternùm colendis:

Theologicum hoc Exercitium in grati animi
τὴν ἀρχὴν, & sui commendationem

Humilimè

consecrat & offert

M. Caspar VVagner Augustanus.



Disputatio IX.

De

TRADITIONIBUS,

QVAS ROMANENSES APPEL-

lant verbum Dei non scriptum.

THESIS I.



*Q*uod de sui temporis Hæreticis Irenæus lib 3. cap. 2.
scripsit, eos cum ex Scripturis arguan-
tur, in accusationem converti ipsarum
Scripturarum, quasi non rectè habe-
ant, neq; sint ex autoritate, & quia
varia sint dicta, & quia non possit ex
his inveniri veritas ab his qui nesciant
Traditionem: id nos de omnium Hæ-
reticorum Antesignanis, Pontificijs Doctõribus, optimo jure
conqueri possumus.

II.

Hi namq; cum impatibili dolore sentiant, se Spiritus gla-
dio, qui est verbum DEI, à Lutheranis confectos esse, per dito
conatu, id ipsum, reclamante propria conscientia testimonio,
petunt, eiq; futilissima sua Traditionum figmenta, quibus ho-
dieq; ab illis Christus Salvator optimus, turpis lucri gratia,
neci traditur, nefariè opponunt, imò, quod adhuc gravius,
longè anteponunt. Eph. 6, 17.

III.

Ac ne quis existimet injuriam Hæresiarchis istis fieri, eisq;
A 2 affingi

affingi id, quod ne per sebrim quidem unquam ipsis in mentem venerit, placet ipsius Antichristiani Regni fulcri verba subjungere.

IV.

lib 4 de verbo
Dei non scripto.

Sic autem illa: Nos asserimus (inquit suo, suorumq; sodalium nomine Bellarminus) non expresse contineri in Scripturis totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus: ac proinde præter DEI verbum scriptum, requiri etiam verbum non scriptum, hoc est, Divinas & Apostolicas Traditiones.

V.

Bellè sanè, si modò speciosa illa Romanensium Traditionum emblemata deplorata ipsorum causa quicquam patrocinarentur: tunc nemo non certè ad genua prolapsus, pro ipso Christo Antichristum coleret, eiusq; statuta Divinarum instar atq; Apostolicarum haberet, observaret, exoscularetur.

VI.

Seß. 4. Decr. 1.

Et quis amplius, per DEVM Immortalem, Lutheranorum tam perfrieta frontis esset, quin ipsas Traditiones, secundum Tridentinæ Synodi decretum, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica (scil. Romana illa, Pseudocatholica) conservatas, pari pietatis affectu & reverentia, ac ipsissimum verbum DEI scriptum, susciperet, veneraretur?

VII.

2. Cor. 11. 13. 14.

Verùm enim verò etiam si istiusmodi Pseudocatholici, operarij dolosi, sese, patrem suum Satanam imitati, in Angelos lucis, ac Christi ministros transfigurent, quo sua facilius, pro Divinis & Apostolicis oraculis, somnia vendere queant, ac fucum facere rudioribus: nihil id tamen quicquam eos juvat, cum semet ipsos potenter confundant, splendidam illam sacrorum

rum titularum larvam sibi metipsis egregiè detrabant, ac fraudem dolumq; posteris ipsi prodant.

VIII.

Ita enim, in nupero Ratisponensi Colloquio, mentem suam aperuit Esavita Tannerus: per Traditiones, inquit, non scriptas, intelligimus eiusmodi quadam præcepta seu constituta ad fidem seu religionem spectantia, quæ exclusa infallibili authoritate Ecclesiæ, in Scriptura nec apertè exprimuntur, nec ex ea evidenter deducuntur.

Seß. II pag. 32.

IX.

Et Concilium Bononiense: Lutherani, inquit, negant velle se aliam Doctrinam admittere, præter unicam illam, quæ Prophetas, Christum & Apostolos autores habet: optarentq; ut simul omnes paucissimis illis contenti essemus, quæ Apostolorum temporibus, aut statim post observata fuere; & præteritas Ecclesias imitaremur: nec de recipiendis ullis Traditionibus cogitaremus, quas non constet luce meridiana clariùs à DOMINO nostro IESU CHRISTO, & ab ipsius Apostolis dictatas atq; institutas &c. Nos contra secuti opinionem Beatitudinis tuæ, volumus credi, haberique necessarias ad salutem doctrinas, omnes Traditiones, constitutiones, regulas, ceremonias, quæ hæctenus vel à Patribus, vel Concilijs, vel etiam à privato aliquo (bono zelo) in Ecclesias invec̃ta sunt.

Ad Tulum III.
Pontif.

X.

Ex quibus Pontificiorum verbis liquido patet: I. se Traditionis voce non eam intelligere doctrinam, quæ scriptis Prophetarum & Apostolorum est comprehensa: quæ in significatione sæpius ab Apostolo usurpata legitur, veluti in priore ad Corinthios: Accepi à DOMINO, quod & tradidi vobis: quid autè ipsis tradiderit, inibi prolixè describit, et in eadè Epistola Tradidi vobis, inquit, imprimis quod & accepi, Christum

1. Cor. II, 23.

cap. I 5, 3, 4.

A 3

videlicet

1. Cor. 15, 3, 4.

vide licet mortuum esset, pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & sepultum fuisse, & suscitatum tertio die, secundum Scripturas.

XI.

lib. 5. de Theol.

2. Deinde etiam illud manifestè liquet, ipsis sermonem haud esse, 1. vel de Christiana Religionis capitibus, seu Fidei Articulis ijs, qui immota sua in sacris literis fundamenta habent: 2. vel de ijs rebus ac negocijs, quae licet non dicantur in Scripturis, ut Nazianzenus loquitur, in ea tamen sunt, ac bona legitimaq; consequentia exinde deduci possunt: quales sunt, Unitatis, Trinitatis, opuscularum, communicationis Idiomatum &c: vocabula: Phrases item, veluti Pater est ingenuus: Infantes sunt baptisandi, & si quae sunt similes.

XII.

3. Constat deniq; ex propria Adversariorum confessione, ipsos non pugnare de ijs ritibus ac ceremonijs, ad exercitium externorum cultuum destinatis, quae vel ex Scriptura probari possunt, vel vi Christiana libertatis concessae sunt.

XIII.

Sed in eo omnis controversia cardo vertitur: utrum ea quae in Scripturis canonicis non modò non dicuntur, sed ne sunt quidem, nec ex ea evidenter deduci possunt, quorumq; principium auctor & origo (ut Petrus à Soto loquitur) in sacris literis inveniri nequit, imò quae verbo DEI scripto è diametro repugnant: utrum, inquam, ea pro verbo DEI non scripto, hoc est, pro Divinis & Apostolicis Traditionibus ad salutem necessarijs credenda sint atq; habenda: sive ut Tridentini Patriculi garrunt, pari pietatis affectu & reverentia, cum ipso scripto DEI verbo suscipienda ac veneranda.

XIV.

A parte negante singuli & universi stant orthodoxi, magno interim, sed irritò conatu, pro affirmante digladiantibus Lojola.

Ceterum

XV.

Ceterum cum probationis onus ipsis non modo incumbat, verum in eodem etiam valde defudent: videamus utique, quo freti fundamento, extremam illam suam, & plusquam Cynicam impudentiam, palliare soleant.

XVI.

Ac initio quidem proferunt illud Christi; Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

Iohan. 16, 12.

XVII.

Sed respondeat pro nobis Augustinus, qui sic scriptum reliquit: Cavendum est, ne Hominibus deceptoribus curiosa auris prabeatur ad sciendum incognita, sub hac occasione, quia DOMINVS ait: Adhuc multa habeo vobis dicere &c. Omnes enim, inquit, insipientissimi Hæretici audacias figmentorum suorum, hac occasione Evangelicæ sententiæ, colorare conantur.

Tract. 97. in Iohan.

XVIII.

Et Tertullianus, qui egregiam illam Missificum ratiunculam infringit his verbis: Dixerat planè Christus aliquando: multa habeo vobis dicere &c. tamen adiiciens: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse ducet vos in omnem veritatem, ostendit nihil illos ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos esse per Spiritum veritatis repromiserat & utique implevit repromissum probantibus Actibus Apostolorum Descensum Spiritus sancti.

lib. de præscr.

XIX.

Quæ Salvatoris verba illa: Cum autem venerit Spiritus veritatis, &c. Diabolica fraude, Adversarij astute omitiunt: neque tamen immerito, cum teste Clemente Alexandrino, Hæreticorum proprium sit χεῖναι χαρῶν & τελείων, ὅσα ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕψος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει. ἀλλὰ ἐκλεγόμενος τὰ ἀμφὶ βόλως εἰρημένα τὰς ἰδίας μετὰ γὰρ δόξας.

lib. 7. Strom.

Nec

XX.

Nec est quod excipiant, in confesso esse, plurima ab Apostolis mysteria viva voce perfectioribus fuisse tradita, quae tamen nusquam in Scriptura extent.

XXI.

Nam eiusdem valoris atq; precij, cum precedente hac quoque ratio est. Vt enim nihil iam dicam, de aureo illo B. Iohannis aphorismo, quo affirmat, Haec (quae membranis ab ipso commissa sint) scripta esse ut credamus Iesum esse Christum illum Filium Dei, & ut credentes vitam habeamus per nomen eius: hoc saltem ex Empactis istis quaerere libet, num ipsi plurimorum istorum mysteriorum ab Apostolis viva voce perfectioribus traditorum, sint conscij?

XXII.

Hic aut affirmando respondeant necessum est, aut negando: si hoc, causa ceciderunt: sin illud, unde probabunt ista vel ista esse?

XXIII.

Id verò nullo negotio demonstrari posse opinatur Cardinalis Bellarminus, si tantum ad regulas quasdam, ab ipso confictas, attendatur; quae cuiusnam sint ponderis, opera precium est videre.

XXIV.

1. Sic habet: Quicquid Ecclesia universa (Romana illa scilicet, quae, si Deus placet, errare non potest) tenet tanquam dogma fidei, nec invenitur in Sacris literis, id procul dubio est Apostolicum.

XXV.

Sed quid roboris huic regulae subsit, nemo est quin videat, nisi talpa sit cecior. Nam ut petitionem principii, satis puerilem iam non operosius exaggeremus: illud potius iam urgemus. Aut per universam Ecclesiam intelligit Bellarminus cœtum Electorum, & tunc falsissimum est istum, vel unicum Fidei dogma, quin expressè atq; evidenter

Ioh 20, 31.

ter in sacris contineatur literis, tenere, vel tenuisse unquam: aut longè maximam illam multitudinem eorum, qui sibi soli Ecclesia nomen insolenter & sacrilegè arrogare: Sed hoc quid aliud est, quàm Malignantium Ecclesiam, Apostolicam dicere?

Psal. 26, 3.

XXVI.

2. Deinde edisserant nobis Adversarij: quodnam illud sit Fidei dogma ab universa Ecclesia, vera illa, non Pseudocatholica Romana, creditum: nec tamen scriptis Prophetis aut Apostolicis ullo modo contentum?

XXVII.

Producent fortè illud: ex AEGYPTO vocavi Filium meum: item, Nazareus vocabitur. Quae loca ipsi etiam, quod nos minimè latet, Chrystomo imposuerunt, ut negaret ea, in canone veteris Testamenti haberi.

Matth. 2, 15, 23.

Hom. 9. in Matth.

XXVIII.

Sed fallunt isti & falluntur. Nam ignoratione Sanctae Linguae decepti esse Patrem istum testis est ipse Hieronymus. Prius enim illud dictum expressè apud Oseam extat, ubi secundum Hebraicam veritatem capite 11. sic legitur: Quia puer Israelis est, & diligo eum: ideo ex AEGYPTO vocavi Filium meum: Posterius verò, illud extat Iesa. 11, ubi in Hebraeo sic legitur: וְגֵר מִצִּיּוֹן & Netzer egredietur de radicibus eius. Adde quòd נָזִיר Nazareus descendit à radice נִזְרָה separavit, quam vocem, passim à Prophetis usitatam, egregiè in Christum competere, testis omni exceptione maior est Epistola ad Hebraeos: Talis, inquit, nos decebat Pontifex, sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus, & excelsior caelis factus. Quod ipsum olim quoq; in Veteri Testamento typicè in Nazaraeis praefiguratum fuit.

De opt. gen. in-
terpr. Script.
Ose. 11, 1.

Esa. 11, 1.

Hebr. 7, 26.

Num. 6, 2.

XXIX.

Nam quemadmodum his, quippe totis verum sacrarum meditationi addictis, durante voti tempore, non licebat sese vel in minimo Legis interdicto, polluere: ita Christus, in id

B

erat

Psal 40, 9.

erat unice intentus, ut eius voluntatem qui misit ipsum faceret, ac se ab omni inquinamento sejungeret.

XXX.

Quare regulam illam primam ita corrigimus: Quicquid Ecclesia ymnica catholica, tenet tanquam dogma fidei: illud necessario in sacris literis liquidissime est expressum.

XXXI.

II. Regula talis est: Quando universa Ecclesia aliquid servat, quod eiusmodi sit, ut à nullo, nisi à DEO tantum, institui possit: & tamen nusquam inveniatur scriptum: id ab ipso Christo traditum esse, necesse est ut credamus, cum Ecclesia neque credendo, neque operando errare possit.

XXXII.

Ac ne vox Antichristi, propria solius DEI, atque Christi eius, impudentissime sibi arrogantis, ilico veritatis studiosum à lectione absterreat, in subsidium Papicola Beatum vocat Augustinum, qui ait: insolentissima insania est, disputare, num id faciendum sit, quod tota die per orbem frequentat Ecclesia.

Epist. 118.

XXXIII.

1. Verum Regula ipsa turpi laborat à dolexia & nugatione: quippe ex falsis presuppositis contexta. Augustinum quod attinet, haud quicquam patrocinator ille Iesu vitæ. Constat enim ipsi non nisi de ea sermonem esse Ecclesia, quæ ex omni parte à Scripturarum auctoritate dependet, ac ne latum quidem unguem ab ea recedit. 2. Vanitas & regule & annexæ rationis vel unico Israelitarum exemplo liquet; Hi certe unanimiter, tardante Mose, fusilem vitulum DEI loco coluerunt. Quis autem, nisi effrenis Esaviticus Monachus, id eò eos culpa vacare existimabit, quia universa Ecclesia, uno Mose excepto, in Idololatriam prolapsa est? Ergone divinitus cultum istum Idololatricum populo præceptum esse statuemus? Sic sanè statuendum necessario fuerit, si axioma hoc alterum Iesu-
vitiium

Exod. 3 2, 4.

ut viticulus nullius debeat esse valoris: quod nimirum fieri nequeat, ut vel credendo vel operando erret Romana Ecclesia? plane contrarium sacra Scriptura testatur.

XXXIV.

Adde quod Regula ista altera turpi contradictione semetipsa implicat. Aut enim per universam Ecclesiam intelligit, omnes particulares simul sumtas: aut solam Romanam. Si illud: tum manifestè falsum est omnes particulares Ecclesias unquam approbasse, aut servasse Traditiones Pontificias. In contrarium enim dari possunt Ecclesia Græca, quæ nunquam in centonem istum Traditionum Pontificiarum consenserunt. Sin hoc: tum oppositum in adiecto statuitur. Si quidem Romanam Ecclesiam quæ particularis est, haud magis universalem sive Catholicam Ecclesiam nominare licet, atque unum granum tritici fas esset nominare acervum triticum.

XXXV.

III. Regulam ex his Augustini verbis: Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur, subdole necit Iesuvvita hunc in modum: Quod universa Ecclesia observavit omnibus retrò seculis, id est Apostolicum, etsi sit eiusmodi, ut ab Ecclesia institui potuisset.

lib. 4. cont. Donatist. cap. 24.

XXXVI.

Sed ut paucis, quod res est, respondeamus: Augustini regulam neque omninò reijcimus, neque simpliciter admittimus: sed hanc conditionem addendam esse statuimus. Si aliquid ita retentum fuerit, ut similis semper ratio fuerit observationis, & quidem non rei alicuius per se adiaphora, ac ad τὰς tantum ἡμῶν ἐκκλησίας Ecclesia pertinentis: tum Regulam Augustini libenter concedimus: & illam exemplo Padobaptismi illustramus. Si verò varius mos, & diversa observatio ostendi potest, jam vel Apostolicum id non erit.

vel malè erit à sequente Ecclesia intermissum & abolitum. lam verò certo certius est, Pontificios nullam talem Traditionem, seu observationem nobis posse ostendere, qua omnibus temporibus ab universa Ecclesia, tanquam necessaria fuerit observata: & tamen nec in Scripturis habeatur, nec ex ea possit deduci.

XXXVII.

IV. Verùm elumbibus istis tribus Regulis, longè futioriè quartam addit Iesuvvita, quam sic format: Quando Doctores Ecclesia aliquid affirmant ab Apostolica auctoritate descendisse, sive in Concilio congregati, sive separatim in libris scribentes, id est Apostolicum. Huius verò Regula hanc adfert rationem: Quia, si omnes Doctores Ecclesia, cum in aliqua sententia conveniunt, errare possent, tota Ecclesia erraret.

XXXVIII.

Respondeo: probat Iesuvvita incertum per aquè, imò magis incertum atq; dubium. Non enim minus queritur, utrum Doctores in Concilio generali cōgregati errare possint, quàm, utrum eorum iudicio de Traditionibus sit standum.

XXXIX.

Neg, obstat Decretum Synodi Nicanae II. ad quod provocat Iesuvvita. Siquidem non modo contra Scripturas, sed etiam contra alia Concilia, & in specie contra Constantinopolitanum IV. quaedam in eo definita esse, per se liquet. Quam ob causam etiam Synodo huic ab occidentali Ecclesia reclamatum fuit.

XL.

Quinta & postrema Regula sic habet: Illud sine dubio est Apostolicum, quod pro tali habetur in ijs Ecclesiis, in quibus est integra successio Episcoporum ab Apostolis.

XLI.

Sed initio aqua, quod dicitur, haret ipsi Iesuvvita. Cùm enim nominare deberet Ecclesias illas, in quibus talis est continua

tinua

tinua Episcoporum successio: præter unam Romanam, non
invenit aliam: Quanquam ne in hac quidem talis dari potest
continua Episcoporum successio.

XLII.

Deinde si in schola Iesuvitarum valet isthac Regula,
quid obsecro opus fuit ambagibus Disputationum & superio-
rum Regularum: Imò verò quid sacris libris, quid Patri-
bus, quid Concilijs opus fuerit, si una hac Regula, & conse-
quenter una Romana Ecclesia, in omnem veritatem nos po-
test inducere?

XLIII.

Egregiam verò illam Ecclesia Romana successionem con-
tinuam, quæ ipsis fatentibus Scriptoribus Pontificijs, ad multos
sæpè menses, ad annum, ad biennium, ad triennium interrupta
est, quæ in schismata multa fuit divisa, sic ut duo aut tres
Pontifices simul aliquando existerent, ut in uno Concilio Con-
stantiensi tres Pape abdicarentur, & quartus novus substi-
tueretur.

XLIV.

Et sanè si externa hac continua successionis dignitas quie-
quam hæc in parte valeret, Constantinopolitana Ecclesia ea de-
signanda esset, ut potè cuius successionem minus, quàm Romanæ
interruptam esse, testis est Nicephorus, quam ipse ab Andrea
Apostolo ad sua usque tempora pertexit.

Lib. 8. cap. 6.

XLV.

Verùm rectè etiam hanc controversiam dirimit Ambrosius,
Non, inquit, habent hereditatem Petri, qui Fidem Pe-
tri non habent: Neque, ut Hieronymus loquitur, sunt Filij
Sanctorum, qui tenent loca Sanctorum, sed qui faciunt illo-
rum opera.

Lib. 1. cap. 6.

Dist. 40. cap.
Non est facile.

XLVI.

Ceterùm Traditionum Pontificiarum centonem isthac

B 3

consti-

constituunt: Oblatio sacrificij Altaris, unctio Chrismatum, In-
 vocatio Sanctorum, Purgatorium, orationes & oblationes pro
 defunctis, Petrum praesedis Romae, tanquam universalem
 Episcopum annis 25. primatus Romani Pontificis, consecratio
 aquae in Baptismo, Elementa, verba & effectus Sacramenti
 Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Paenitentiae, Extremae
 unctio, Orationes pro defunctis, merita operum, necessitas
 satisfactionis, enumeratio peccatorum secundum singulas fa-
 ctorum circumstantias facienda sacerdoti, Ieiunium Quadra-
 gesimae, & quatuor temporum, ciborum & dierum discrimine
 constans, canon Missae, consecratio aquae & olei in Baptismo,
 communio sub una specie, adoratio panis consecrati, Indulgen-
 tia, Rosaria, Iubileus, caelibatus Sacerdotum, consecrationes sa-
 lis, aquae, cinerum, cereorum, ignis, placentarum, Altarium,
 Templorum, Baptismus campanarum, vigiliae, anniversariae,
 reliquiae Sanctorum, Imagines & statuae Sanctorum, consecra-
 tio, adoratio, cultus & ornatus statuarum, peregrinationes
 ad statuas & reliquias, fraternitates Monachorum & Mo-
 nialium, Canonorum, Regularium & Irregularium, Exor-
 cistarum, Acoluthorum, Tonsoriarum Sacrificulorum, Sta-
 tionariorum, Terminariorum ordines, Candela, Vestes, Ta-
 bulae, Tempora, Altaria, campanae, cruce, vexilla, corolla, herbae,
 palma, asinus palmarum, matutinae, nocturnales & tumultu-
 osae, sepulchrum crucis, elevatio Imaginis Christi, deiectio
 ignis & aquae die Ascensionis DOMINI, demissio lignae,
 vel etiam viva columbae in Festo Pentecostes, Festum corporis
 Christi cum omni apparatu &c.

XLVII.

Hic est egregius iste Papisticarum Traditionum Cata-
 logus; haec ista Pandora pyxis, quae plus abominationum, quam
 in Aegypto stabulo sordium; haec illa malorum lerna, quae de o-
 lim

tim ipsi Doctores Pontificij gravissimè conquesti sunt: quæ
tamen jam omnia, ut lesuovitis placet, procul dubio sunt A-
postolica, quia nimirum pro talibus in Catholica Ecclesia (Ro-
mana illa) habentur.

XLVIII.

Quasi verò multitudini errantium potior fides sit haben-
da, quàm paucitati rectè sentientium: ac non potius, ut Pa-
normitanus ait, in concernentibus fidem, etiam dictum unius
privati, dicto Papæ (qui solus Ecclesia vult audiri) præferen-
dum esset.

XLIX.

Sicut etiam Gerson censuit: prima, inquiens, veritas
staret, quod aliquis simplex, non autorisatus esset tam excel-
lenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum in
casu doctrinali sua assertioni, quàm Papæ declarationi. Con-
stat enim plus esse credendum Evangelio, quàm Papæ.

L.

Ceterùm cum partim ipsa rerum nota in Catalogo isto
comprehensa, satis ostendant luculenter, res ipsas, quarum no-
ta sunt, à DEO non esse profectas; partim ipsos Adversarios
confitentes habeamus, eas nec expressè in Scripturis contineri,
nec evidenter ex eâ deduci posse; sed ab Hominebus in Ecclesiâ
invectas esse: hoc ipso docemur quanti singule ac universæ
sint faciendæ, non plures nimirum quàm fabellæ AEsopica.

LI.

Quare purum putum erit mendacium, imò summa in S. S.
Triadem blasphemia, quando scribere non verentur lesuovita
eas esse verbum DEI non scriptum.

LII.

Qui enim id quod DEVS Ter Opt. Max. in verbo suo scri-
pto, neque ordinavit, neque præcepit, verbum eius esse queat?

B. 4

nisi

Autor Oneris
Ecclesiæ cap. 14.
Et 43. § 13.
Andr. Fric. lib.
4 de Eccl cap. 7.

In cap. signifi-
casti: extra de
Ele.

Part. 1. de conf.
Doctrinal con-
fid. 5.

nisi quis per stupendam audaciam statuere velit, DEVM
Ecclesie sue aliud scripto, aliud, ab illo planè diversum, viva
voce tradidisse: quæ ratione ipsa veritas in mendacium, ipsa
Lux in tenebras mutaretur, contrà quàm scriptum est: DEVS
ego & non mutor.

Malach. 3, 6.

LIII.

Rom. 3, 3.

Quin potius omnis Homo mendax: solus DEVS verax:
qui ad verbum suum literis comprehensum nos ita alligavit,
ut non nisi per illud unice nobis loqui velit, secundum illud:
ad Legem & ad testimonium, nisi dixerint secundum ver-
bum hoc, non erit illis matutina lux.

Esa 8, 20.

LIV.

Matth. 17, 5.

Dist. 8. e. f. solus

Qui etiam solum Christum, Filium suum dilectum, in-
scripto verbo suo nobis loquentem, audiendum præcepit. Qui
si solus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis
ante nos faciendum putaverit: sed quid, qui ante omnes est,
Christus prior fecerit: neque enim Hominis consuetudinem
sequi oportet: sed DEI veritatem: cum per Esaiam Pro-
phetam Deus loquatur & dicat: sine causa colunt me, manda-
ta & doctrinas Hominum docentes.

Esa. 29, 13.

LV.

Deut. 4, 40.
& 12, 32.

Quam ob causam DOMINVS etiam per Moſen, pro-
scriptis & valere iussis Traditionibus exactissimam solius
verbi sui obedientiam requirit, à quâ ne latum quidem un-
guem fas sit recedere.

LVI.

In Annot. sua
ad text.
Deut. 4.

Quod agnoscens celebris ille Parisiensis scholæ Professor,
Vatablus, causatur, inquit, Moſes, ideò nihil esse addendum
vel demendum verbis DEI, ne non seruentur præcepta DEI:
quod Traditiones Hominum verbo DEI additæ obstaculo
sint ne seruentur. Præcepta enim Hominum avertunt à ve-
ritate Tit. 1. & seducunt corda innocentium, Rom. 16.

Tit. 1, 14.
Rom. 16, 18.

Quid

LVII.

Quid ad haec Papa illud mancipium Bellarminus, concedit ne Hominum Traditiones verbo DEI additas, eidem, ne servetur, esse obstaculo? nihil certè minus. Contendit enim Traditiones istas, etiam extra casum scandali sine peccato omiti non posse, cum non sint res indifferentes: sed utiles, meritoria, & pars quaedam cultus divini.

Tom. 2. fol. 266
& Tom. 1. fol.
1020.

LVIII.

Verum cum haec è diametro pugnent cum praecipuis Fidei Christianae capitibus, ipsaq; DEI praecepta eventant, nec non praesentissimum perturbatis conscientijs struant exitium: ideo iure optimo ad orcum usq; ea relegamus.

LIX.

Si enim sub necessitatis Lege constituti uncule isthaec humana Ecclesiae imponantur, an non plurimi exinde, cum primis infirmi, ad ipsam tandem desperationem adigentur? ignorantes quippè modum & finem earum.

LX.

Si porrò Traditiones humana meritoria credantur & satisfactoria pro peccatis, an non ilicò absolutissimum atque perfectissimum Christi meritum expirabit? cum tantum decedat huic, quantum illis accedit.

LXI.

Si deniq; Hominum Traditiones pars quaedam cultus divini statuatur, an non eo ipso, teste Salvatore nostro unico, mandata DEI irrita redduntur, ac simpliciores à veritatis semita ad ὁμῶς ὁπίων ἐν ταύταις devia abducuntur? quod cum horrendo & inexcusabili DEI contemptu coniunctum esse, quis non videt?

Matth. 15. 6.
Marc. 7. 9.

LII.

Quare consultissimum fuerit, longissimè ab omnibus ijs recedere, qua non per omnia ad sacrarum literarum amussim

B 5

qua.

quadrant. Quicquid enim absq^{ue} earundem auctoritate asse-
ritur, eâdem facilitate contemnitur, quâ affirmatur.

LXIII.

Actor. 20, 27.

Idq^{ue} tantò magis, quantò certiore fidem adhibemus Apo-
stolo affirmanti, se nihil quicquam in arcano retinuisse, sed
manifestasse Ephesis omne consilium Dei: nec viva tan-
tum voce, sed & scriptis postmodùm Epistolis, illud ipsum con-
siliium Dei plenissimè fidelibus proposuisse.

LXIV.

Lib. 3, cap. 1.

Quam in sententiam præclare Irenæus, Apostoli, inquit,
id Evangelium, quod præconiaverunt, postea per Dei volun-
tatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum &
columnam Fidei nostræ.

LXV.

Quod superest DEO Ter Optimo Maximo ardenti pecto-
re immortales gratias agimus, pro ineffabili bonitate, quâ
nobis in regione umbrae mortis sedentibus Evangelij sui
lucem oriri passus est: Ipsi sit Gloria, Honor,
& Potentia in omne ævum.


Amen.

F I N I S.

o-
ed
n-
n-
it,
n-
o-
uä

Handwritten text on the right edge of the page, possibly a library or archival stamp.





94 A 7359

ULB Halle 3
002 625 679



Sb.

Retro

W 17






Handwritten label on the spine, likely containing library or ownership information.

XIII
LXXXIII

Blind-tooled text on the spine, likely the title or author's name, written in a Gothic script.





DISPUTATIO THEOLOGICA IX.

33

De
TRADITIONIBVS,
QVAS ROMANENSES APPEL-
lant verbum Dei non scriptum,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri
Dn. LEONHARTI HUTTERI,
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia
Vitebergensi Publici discutiendam
proponit

M. CASPAR VUAGNER
Augustanus.

Ad diem 3. Maij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.